

CONRADVS A PAPPENHAIM.



Conradus ex nobili familia Pappenheimiorū natus, & in omni genere uirtutum optimè educatus fuit. Is cum prima literarum fundamenta percepisset, bellorum studia amplecti cœpit. In ijs adeò profecit, ut magnam militaris scientię peritiā nactus fuerit. Id cum Maximilianus rex cognouisset, eum inter consiliarios recepit, & ob multas uirtutes plurimūm dilexit. Cum etiam Franckoforti 1562 Cesar eligeretur, Conradus interfuit, & res sibi commissas singulari dexteritate expedivit. Hinc factum ut insignem illam familiam, quæ S. Romani Imperij Marescallos hæreditarios procreare, & suis uirtutibus Germaniam subinde exornare solet, Conradus plurimūm decorarit, & Imperij proceribus gratissimus extiterit. Vnde ipsius Conradi, atque totius honestissimæ illius Pappenheimiorum familiæ, meritò hoc loco mentio facta est. A. nonymos.